Liebmann

AD

EXAMEN SOLEMNE

SCHOLAE LATINAE

GYMNASII HALENSIS

IN ORPHANOTROPHEO

A. D. III. CAL. APRILIS CIↃIↃCCCXXXI.

SUBEUNDUM

AUDIENDASQUE ORATIONES ALIQUOT

PRIMI ORDINIS CIVIUM

BONARUM LITTERARUM FAUTORES

REVERENTER INVITAT

JOANNES GOTTLIEB DIEK

PHILOS. D. PROFESSOR ET RECTOR GYMNASII.

INEST

I. Jo. Aenoth. Liebmanni de ISAEI vita et scriptis commentatio.

II. Annalium scholae latinae particula sexta.

HALIS SAXONUM

TYPIS ORPHANOTROPHEI

CIↃIↃCCCXXXI.

I.

DE

ISAEI VITA ET SCRIPTIS COMMENTATIO.

SCRIPSIT

JO. AENOTH. LIEBMANN

PHIL. DOCT. ET COLLABOR. IN SCHOLA LAT.

Non dubito, quin omnes, qui de perfecto eloquentiae genere apud veteres quaerant, in Graeciam ac nominatim Athenas abeundum esse censeant. Athenis enim dicendi artem potissimum suum domicilium habuisse, jam Cicero judicat, qui Brut. cap. XIII., 49. sic scribit: *Hoc autem studium* (dicendi) *non erat commune Graeciae, sed proprium Athenarum.* Neque vero usquam eloquentiae studium melius quam Athenis excoli potuit. Ibi enim et natura ipsa et rei publicae ratio in ea perficienda quasi elaborarunt. Quapropter Graecorum eloquentia ita se extulit, ut omnes, qui postea eloquentiae studio sese dediderunt, Graecis magistris uterentur. Ipse Tullius Graecis magistris factus est orator omnium Romanorum clarissimus, neque postea, quum jam summus orator praedicaretur, Graecorum exempla prorsus ab oculis removisse videtur. Quo enim peritior quisque oratorum Graecorum erit, eo magis inter legendum intelliget, quam multum Cicero ex illis in suum usum converterit.

Quamvis vero, ut paulo ante diximus, Graeci et imprimis Athenienses prae reliquis antiquitatis populis eloquentiae gloria eminerent, nulla tamen aetas iis felicior fuit, quam qua rebus domi forisque ad summam quasi maturitatem perductis praestantissima omnis memoriae ingenia quodque litterarum genus excoluerunt. Tum enim eloquentia quoque decem illis oratoribus ita exculta et polita est, ut nihil magis posset et his exstinctis optimum illud eloquentiae genus elangueret. Quum igitur horum oratorum scripta, quae aetatem tulerunt, praestantissima Graecae eloquentiae monumenta sint, vel hanc ob caussam unumquemque litterarum studiosum accuratius ea cognoscere juvet necesse est. Accedit, quod oratores illi, qui semper fere in strepitu forensi versarentur, optimi sint fontes, ex quibus Attici sermonis Atticarumque legum et institutorum cognitio hauriri possit. Quod quum animo reputassem, ab initio me contuli ad Demosthenem, oratorum

Atticorum facile principem. Sed compluribus ejus orationibus perlectis reliquos quoque cognoscendi cupido me cepit. Transii igitur ad Isaeum, idque propterea, quod Dionys. Halic. de Isaeo p. 104. censet, *hujus potissimum magisterio et disciplina divinam Demosthenis vim natam esse.* Quum autem aliis scriptoribus lectis satis cognovissem, quantum ad eos melius intelligendos referret, eorum vitam, mores, res gestas, ingenii monumenta, alia ejusmodi bene nosse, multos evolvi libros, ex quibus me illis de rebus ad Isaeum pertinentibus instruerem. At ea, quae ubique inveni, neutiquam satisfecerunt, meque adegerunt, ut ipsos fontes adirem. Magis satisfecerunt ea, quae Schoemannus, novissimus Isaei editor, Praef. p. IV. breviter disputavit. Neque tamen ejusmodi sunt, ut ei, qui eandem materiam tractare velit, omnia sint praerepta. Putabam igitur, quum mihi nuper demandatum esset, ut aliquid commentarer, quod annuae scriptioni scholasticae adderetur, me nihil supervacanei facturum, si hac opportunitate usus pauca ea, quae ad Isaei historiam pertinerent, ex ipsis scriptorum antiquorum fontibus hic proponerem et examinarem.

Maximis difficultatibus Isaei historiam implicatam esse, statim apparet in ea re exponenda, unde necessario cujusque vitae descriptio debet exordiri. De anno enim, quo Isaeus natus sit, nusquam exstat testimonium. Jam si de patria ejus quaerimus, adsunt quidem testimonia veterum, sed alii alia tradunt. Dionys. Halic. de Isaeo statim ab initio haec scribit: *Ἰσαῖος, — ὡς μέν τινες ἱστοροῦσιν, Ἀθηναῖος ἦν τὸ γένος, ὡς δὲ ἕτεροι γράφουσι, Χαλκιδεύς.* Idem tradit auctor vitae ab Aldo Isaei orationibus praemissae et a Bekkero et Schoemanno repetitae: *Ἰσαῖος ὁ ῥήτωρ ἐγένετο κατὰ μέν τινας Ἀθηναῖος, κατὰ δέ τινας Χαλκιδεύς.* Aliquanto plenius idem legitur apud Harpocrat. voc. *Ἰσαῖος.* *Ἰσαῖος — Ἀθηναῖος τὸ γένος, καθά φησιν Ἕρμιππος ἐν δευτέρῳ περὶ τοῦ Ἰσοκράτους μαθητῶν· Δημήτριος δ' ἐν τοῖς περὶ ὁμωνύμων ποιητῶν Χαλκιδέα φησὶν αὐτὸν εἶναι.* Ab Harpocratione denique Photius, Eudocia et Suidas, quum alios semper compilare soleant, in eo tantum discrepant, quod non addiderunt, qui Isaeum Atheniensem fuisse contendisset. Sed haec ipsa verba, quae illi non exscripserunt, non possum relinquere, quin quasi praeteriens tangam errorem Jul. Pflugkii, Gymnasii Gedanensis professoris. Quem, quum

eo libro, quem de vita et scriptis Theopompi Chii nuper edidit, contenderet, Hermippum de Isocratis discipulis disseruisse libro singulari, hic locus alia docere potuit. Illud Hermippi opusculum si non pluribus, certe tribus libris constitit. Tertium librum laudat Athenaeus lib. VIII. p. 342. C.: *Καὶ ὁ Ἕρμιππος δέ φησιν ἐν τρίτῳ περὶ τῶν Ἰσοκράτους μαθητῶν, ἑωθινὸν τὸν Ὑπερείδην ποιεῖσθαι νῦν τοὺς περιπάτους ἐν τοῖς ἰχθύσιν.* Cf. etiam Meieri Prooem. Ind. schol. Acad. Hal. 1831. p. 4.

Sed nunc redeamus, unde paululum delati eramus, videamusque, quid in hoc veterum de Isaei patria dissensu statuendum videatur. Equidem puto, Isaeum revera Chalcide natum, sed postea, quod Athenis moratus sit et docuerit, Atheniensem habitum esse. Quae patriae permutatio quam in multis aliis facta sit, non est, quod exemplis probem. In hanc vero sententiam me adduxerunt ea, quae apud Pseudo-Plutarchum in Isaeo statim ab initio leguntur: *Ἰσαῖος Χαλκιδεὺς μὲν τὸ γένος, παραγενόμενος δὲ εἰς Ἀθήνας* cet. Idem confirmant duo Photii loci, quorum alter in Isaeo hic est: *Χαλκιδεὺς γέγονε τὸ γένος ὁ Ἰσαῖος, εἰς Ἀθήνας δὲ μετελθὼν ἐσχόλασε Λυσίᾳ*, alter exstat in vita Demosthenis: *Ὁ Δημοσθένης — σχολάζων Ἰσαίῳ τῷ Χαλκιδεῖ ἐν Ἀθήναις σοφιστεύοντι.* Similia leguntur apud Pseudo-Plutarch. in Demosth.: *Ὁ Δημοσθένης, ὁ σχολάζων Ἰσοκράτει, ὥς τινες ἔφασαν, ὡς δὲ οἱ πλεῖστοι Ἰσαίῳ τῷ Χαλκιδεῖ διάγοντι ἐν Ἀθήναις.* His testibus mihi verisimilius videtur, Isaeum Chalcidensem, quam Atheniensem esse. Debebat igitur Meursius caussas afferre, quod Lect. Attic. V, 21. Isaeum Atheniensem potius quam Chalcidensem esse vellet. Socium sententiae suae Meursius nuper nactus est Schoemannum, qui l. l. negat, scriptorum dissensionem ita componi posse. Dicit enim: *Atqui Hermippus τὸ γένος dixit, quod non potest de cive adscripticio accipi. Et potuit sane fieri, ut Chalcide natus, neque minus tamen ingenuus esset civis Atticus, si quidem Chalcidensis agri aliquam partem usque ad Ol. $\overline{XCII}$, 2. tenuisse videntur Attici cleruchi, eorum posteri, qui paucis ante bellum Persicum primum annis Chalcidem missi erant. Cleruchos enim patriae civitatem retinuisse, et modo ab hac, modo ab illa, in quam missi erant, appellatos esse satis constat.* — Quae quamquam speciose disputata sunt, iis tamen commoveri non possum, ut sententia mea decedam, quum praesertim ea, quae de tempore dicit, ad quod usque Attici

cleruchi Chalcidensis agri aliquam partem habuissent, nullo veterum testimonio confirmentur, immo vero Thuc. VII, 57., ubi Chalcidenses tempore expeditionis in Siciliam factae inter tributarios enumerantur, refutari videantur. Apud Thucyd. enim ita scriptum est: *Καὶ τῶν μὲν ὑπηκόων καὶ φόρου ὑποτελῶν Ἐρετριεῖς καὶ Χαλκιδεῖς καὶ Στυρεῖς καὶ Καρύστιοι ἀπ' Εὐβοίας ἦσαν.* Cf. etiam Wachsmuth. A. Hellen. Vol. I. sect. 1. p. 328. — Nolo igitur propter unum Hermippum aeque gravem Demetrii et reliquorum scriptorum, qui Isaeum Chalcidensem faciunt, auctoritatem rejicere.

Neutiquam vero in hac re enucleanda audiendus est Philostratus, qui et Meursii et nostrae sententiae repugnans p. 512. exempl. Olear. Isaeum tradit Assyrium fuisse. Isaeus enim, de quo ibi agitur, longe diversus est a nostro. Quod optime probat Philostratus ipse, quum vit. Isaei p. 513. Nicetam Smyrnaeum et Dionysium Milesium tradat ejus auditores fuisse. Nicetas enim Philostr. ipso teste p. 512. tempore Nervae imperatoris vixit, et Dionysius ab Hadriano munere amplissimo ornatus est. Tradit hoc Philostr. p. 514.: *Ἀδριανὸς γὰρ σατράπην μὲν αὐτὸν ἀπέφηνεν οὐκ ἀφανῶν ἐθνῶν.* Licet igitur apud Philostratum complura exposita sint, quae fortasse etiam de nostro Isaeo dici possint, nemini tamen dubium potest esse, ad quem referenda sint. Ad eum scilicet referenda sunt, quem Plin. Sec. Epist. lib. II., 3. nepoti suo ad audiendum quam maxime commendat, et Suid. voc. *Ἰσαῖος ὁ ῥήτωρ* commemorant. cf. Tillemont. hist. Trajan. sect. XXIX.

At hic fortasse aliquis objiciet, quo tandem modo tu de hujus Isaei tempore cogitare potes, quum apud Philostratum p. 514. haec de eo legantur: *Κατηγορῶν δὲ τοῦ Βυζαντίου Πύθωνος, ὡς δεθέντος μὲν ἐκ χρησμῶν ἐπὶ προδοσίᾳ, κεκριμμένης δὲ τῆς προδοσίας, ὡς ἀνέζευξεν ὁ Φίλιππος, ξυνέλαβε τὸν ἀγῶνα τοῦτον ἐς τρεῖς ἐννοίας· Ἔστι γὰρ τὰ εἰρημένα ἐν τρισὶ τούτοις, ἐλέγξω Πύθωνα προδεδωκότα, τῷ χρήσαντι θεῷ, τῷ δήσαντι δήμῳ, τῷ ἀναζεύξαντι Φιλίππῳ· ὁ μὲν γὰρ οὐκ ἂν ἔχρησεν, εἰ μή τις ἦν, ὁ δὲ οὐκ ἂν ἔδησεν, εἰ μὴ τοιοῦτος ἦν, ὁ δὲ οὐκ ἂν ἀνέζευξεν, εἰ μή, δι' ὃν ἦλθεν, οὐχ εὗρεν.* Haec si quis protulerit, de tempore, quo ea referenda sint, nulla potest esse dubitatio. Pytho enim, qui hic proditionis accusatus esse dicitur, sine dubio idem est, de quo Demosth. orat. de Haloneso p. 75. exempl. Bekk. et Diodor. Sicul. lib. XVI., 85., 20. mentionem injiciunt. Ejus-

dem magnam eloquentiam praedicat Philostratus vit. Apollon. Tyan. p. 317. et prooem. ad Vit. Soph. p. 482., ubi scribens ὃν Δημοσθένης μόνος Ἀθηναίων ἀνασχεῖν φησι θρασυνόμενον καὶ πολὺν ῥέοντα videtur respexisse ipsum Demosthenem, qui orat. pro Ctesiphonte p. 243. haec de se praedicat: Ὅτε γὰρ Πύθωνα Φίλιππος ἔπεμψε τὸν Βυζάντιον καὶ παρὰ τῶν αὐτοῦ συμμάχων πάντων συνέπεμψε πρέσβεις — τότ' ἐγὼ μὲν τῷ Πύθωνι θρασυνομένῳ καὶ πολλῷ ῥέοντι καθ' ὑμῶν οὐκ εἶξα οὐδ' ὑπεχώρησα. Ita Demosthenem tum gloriatum esse, etiam Diodor. l. l. narrat. — Quamvis igitur res, de qua hic agitur, in Demosthenis et fortasse in ipsius Isaei tempora incidat, tamen non est, quod Isaeum, cui haec Pythonis accusatio tribuatur, Chalcidensem potius, quam Assyrium dicas. Paulo ante nonnullos locos laudavimus, ubi Pythonis ejusque eloquentiae mentio facta est, sed nescio an nullus inveniatur, ubi de ejus proditione et carcere propterea tolerato expositum sit. Quapropter equidem puto, dubitari non posse, quin haec sit caussa ficta, quam rhetor ille, qui teste Plin. l. l. vel anno aetatis sexagesimo declamator in caussis fictis fuit, sibi exempli et exercitationis caussa sumpserit. Magis etiam idem probat alius locus, quem ad sententiam nostram refutandam ex Philostrati Isaeo aliquis excitare possit. Τοὺς μὲν γὰρ Λακεδαιμονίους ἀγωνιζόμενος τοὺς βουλευομένους περὶ τοῦ τείχους, ἀπὸ τῶν Ὁμήρου (Il. Ν', v. 131.) ἐβραχυλόγησε τοσοῦτον:

Ἀσπὶς ἄρ' ἀσπίδ' ἔρειδε, κόρυς κόρυν, ἀνέρα δ' ἀνήρ.

Οὕτω στῆτε ὦ Λακεδαιμόνιοι καὶ τετειχίσμεθα. Quodsi enim non statueremus, id exempli caussa compositum esse, temporum ratio impediret, quominus aut Isaeo Chalcidensi aut Assyrio ascriberemus. Illam enim de Sparta muris circumdanda consultationem initio bellorum Persicorum institutam esse, jam Olearius probavit ex Aphthon. Progymn. exempl. Lugd. Batav. p. 81., ubi ita legitur: Ἐπιόντων Λακεδαιμόνιοι Περσῶν βουλεύονται τειχίσαι τὴν Σπάρτην. Atque illum exercitationis locum fuisse, inde quoque apparet, quod Philostratus scripsit ἀγωνιζόμενος. Hoc enim verbum posterioribus temporibus haud raro de Sophistarum declamationibus usurpatum esse, probant exempla apud Cresoll. Theatr. Rhet. III., 17.

Quoniam igitur vidimus, Isaei vitam a Philostrato conscriptam non ad nostrum Isaeum pertinere, neque ejus vitae lucis quicquam afferre, patet errasse

Sylburgium et Kusterum; quod hic in annotationibus ad Suidam, ille prima ad Dionysii Isaeum nota lectores, qui Isaei vitam accuratius cognoscere velint, ad Philostratum ablegent. Eodem errore implicatus est anonymus vitae auctor. Declarat quidem ipse, dicens: *ταῦτα δέ φησι Φιλόστρατος ἐν τοῖς βίοις τῶν σοφιστῶν, οὐ πάντως* (sic cum Bekk. pro *οὐ πάντων* scribendum) *περὶ τούτου λέγων Ἰσαίου,* non omnia a Philostrato narrata ad Isaeum nostrum referenda esse: at ne ea quidem, quae e Philostrato de Isaei luxurioso vitae genere protulit, afferre debebat. Quo enim modo Philostratus de Isaeo nostro talia narrare potuit, quum jam multo ante eum Dionysius Halicarn. conquestus esset, se propter testimoniorum defectum nihil de nostri Isaei vita scribere posse? En ejus verba: *Γενέσεως καὶ τελευτῆς τοῦ ῥήτορος ἀκριβῆ χρόνον εἰπεῖν οὐκ ἔχω· οὐδὲ δὴ περὶ τοῦ βίου τοῦ ἀνδρὸς, οἷός τις ἦν· οὐδὲ ἀρχὴν εἰ προείλετό τινα πολιτείαν· οὐδ᾽ ὅλως περὶ τῶν τοιούτων οὐδενὸς, διὰ τὸ μηδὲ τοιαύτῃ περιτυγχάνειν ἱστορίᾳ.* Satis igitur apparet, Philostratum ad Isaei nostri vitam illustrandam nihil omnino conferre posse.

Simul vero etiam ex Dionysii loco unusquisque intelligit, quam manca semper nostra Isaei vitae cognitio maneat necesse sit. Quum igitur, ut vidimus, neque constet, quo tempore natus sit aut mortuus, neque dici possit, num honoribus et rei publicae muneribus functus sit, restat, ut de tempore, quo maxime floruerit, dicamus et pauca de studiis ejus et scriptis subjungamus.

De tempore, quo Isaeus maxime floruerit, jam Dionysius haec tradit: *ἤκμασε μετὰ τὸν Πελοποννησιακὸν πόλεμον, ὡς ἐκ λόγων αὐτοῦ τεκμαίρομαι· καὶ μέχρι τῆς Φιλίππου δυναστείας παρεξέτεινεν.* Idem iisdem fere verbis habet Pseudo-Plutarchus. In anonymi vero historia pro *μετὰ* legitur *κατὰ τὸν Πελοποννησιακὸν πόλεμον,* quod sine dubio memoriae errore ortum est. Satis hoc declarant verba consequentia: *ὥς φησι Διονύσιος ὁ Ἁλικαρνασεὺς ὁ κριτικός.* Praeterea etiam *μετὰ* scripturam tuetur, quod apud Dionys. Judic. de Thucyd. historic. c. 65. et 67., ubi oratores, qui belli Peloponnesiaci tempore vixerint, enumerantur, Isaei nulla fit mentio. Ibi enim qui nominantur, sunt Andocides, Antiphon, Lysias, Isocrates. Neque vero etiam ex quaquam ejus orationum comprobari potest, ejus florem in belli Peloponnesiaci tempora incidisse. Nam quod Taylorus ad initium orat. de Philoctemonis hereditate scribit, *eam caussam tenente bello Peloponnesiaco haud multo*

post cladem in Sicilia acceptam actam esse, id merito jam a Reiskio irrisum et a Schoemanno refutatum est satis. Complura sane in ejus orationibus insunt, quae ad illius belli tempora spectant, at ea semper ita sunt exposita, ut multo ante, quam oratio habita est, facta appareant. Atque omnes ejus orationes, quarum tempus e rerum connexu atque comparatione cum aliqua verisimilitudine erui potest, demonstrant, eum inde ab Olymp. XCVII. usque ad Olymp. CVI. seu ad primos Philippi Macedonis annos vitam extendisse orationibusque scribendis operam dedisse. Quae quum ita sint, Schoellius, qui Hist. Litt. Gr. Vol. I. p. 379. Isaeum circa a. 350. floruisse dicit, ejus aetatem nimis alte rejecisse videtur. — Quodsi igitur in universum statuimus, Isaeum circa Ol. XCVII. aut paulo ante orationes scribere incepisse, patronique partes statim suscepisse, quum ei per civitatis leges liceret, non plane a verisimilitudine abhorreat, si suspicamur, Isaeum circa tempus expeditionis in Siciliam susceptae natum esse. Paulo accuratius etiam hanc rem explicare studuit Schoemann. Praef. p. V. et VI.

Jam si de Isaei parentibus ejusque prima eruditione quaerimus, non minus incerta habemus, quae tradere possimus. De hac nemo quidquam commemoravit; patrem ejus fuisse Diagoram, refert anonymus Isaei vitae auctor. Sive igitur ab hoc, sive ab alio primo eruditus est, postea ad eloquentiae regulas addiscendas Chalcide se Athenas contulit, ibique Lysiae, qui ludum rhetoricum aperuerat, totum se dedit. Loci, ex quibus hoc cognoscimus, jam supra p. 3. allati sunt. His vero plane repugnare videtur Dionysius in Isaeo: *Οὐδὲ γὰρ — Ἕρμιππος, ἀκριβὴς ἐν τοῖς ἄλλοις γενόμενος, ὑπὲρ τοῦδε τοῦ ῥήτορος οὐδὲν εἴρηκεν, ἔξω δυοῖν τούτων, ὅτι διήκουσε μὲν Ἰσοκράτους, καθηγήσατο δὲ Δημοσθένους, συνεγένετο δὲ τοῖς ἀρίστοις τῶν φιλοσόφων.* Isaeum Isocratis discipulum fuisse, affirmant etiam Harpocratio, Suidas, Photius, Phavorinus voc. Ἰσαῖος. Photius et Pseudo-Plut. vit. Isocrat. idem tanquam aliorum opinionem habent: ἐμαθήτευσε δ' αὐτῷ (*Ἰσοκράτει*) — *καὶ ὥς τινές φασιν, καὶ Ὑπερείδης καὶ Ἰσαῖος.* Quamvis vero Isaeum Isocratis discipulum fuisse tot scriptorum et Hermippi auctoritate sustentetur, ex eo tamen non consequitur, eos, qui Isaeum Lysiae discipulum faciant, plane falsa narrare. Quid enim impedit statuere, ut alios oratores sic etiam Isaeum complurium rhetorum institutione usum esse? Lysiae

scholam oratorem nostrum frequentasse, quum testimoniis scriptorum constat, tum infra maxime apparebit, ubi de ejus dicendi genere dixerimus. De Isocratis institutione Schoemann. Praef. p. VI. dicit *nonnullos dubitasse propter Pseudo-Plutarchum, qui tradat, Isocratem docere coepisse Lysistrato demum archonte Ol. CII., 4.* Apud Pseudo-Plutarchum quae illi, si qui sunt, respexisse possunt, nihil invenitur praeter haec, quae vit. Isocrat. extr. leguntur: Ἀρξάμενος δὲ ὑπὸ Λυσιστράτου διδάσκειν etc. At qui haec de Isocrate intelligunt, produnt se hunc locum non accurate inspexisse. Manifesto enim et haec et alia ibi dicta accipienda sunt de Aphareo, quem Pseudo-Plut. paulo ante dixerat ab Isocrate adoptatum esse. Idem Aphareus commemoratur a Suida h. v. et Dionys. Hal. in Isocrate p. 102. Neque vero διδάσκειν verbum loco illo de studiis oratoriis, sed, ut saepissime, de fabulis docendis intelligendum est. Quam maxime id apparebit, ubi totum Pseudo-Plutarchi locum apposuero: Ὁ δὲ Ἀφαρεὺς συνέγραψε μὲν λόγους, οὐ πολλοὺς δέ, δικανικούς τε καὶ συμβουλευτικούς. Ἐποίησε δὲ καὶ τραγῳδίας περὶ ἑπτὰ καὶ τριάκοντα, ὧν ἀντιλέγονται δύο. Ἀρξάμενος δ' ὑπὸ Λυσιστράτου διδάσκειν ἄχρι Σωσιγένους ἐν ἔτεσιν εἴκοσιν ὀκτὼ διδασκαλίας ἀστικὰς καθῆκεν ἕξ, καὶ δὶς ἐνίκησε, διὰ Διονυσίου καθείς, καὶ δι' ἑτέρων ἑτέρας δύο Ληναϊκάς. Injuria igitur Schoemannus l. l. propter illud testimonium omnem Pseudo-Plutarchi auctoritatem impugnat. Ut autem tam pauci scriptores antiqui Isaeum Lysiae discipulis annumerent, plures commemorent, eum ex Isocratis ludo prodiisse, fortasse eam ob caussam factum est, quod Isocrates rhetor Lysia longe clarior erat.

His igitur eloquentiae excolendae ducibus se dedit Isaeus, idque omnium veterum consensu tam felici successu, ut mox insignis oratoris famam consequeretur et Lysiam praeceptorem, quem maxime imitatus est, multis in rebus superaret. Simul vero etiam auxit rhetoricen, quam ante eum Antiphontem aut invenisse aut inventam amplificasse scribit Philostrat. de Vit. Sophist. p. 498.: Ῥητορικὴν δὲ τὸν Ἀντιφῶντα οἱ μὲν οὐκ οὖσαν εὑρεῖν, οἱ δὲ εὑρημένην αὐξῆσαι. Isaeum enim primum σχηματίζειν incepisse, narrat Pseudo-Plutarchus et Photius. Quid autem sit illud σχηματίζειν ἤρξατο, de eo non consentiunt viri docti. Mihi quidem verbis illis nihil aliud dictum videtur, quam Isaeum primum fuisse, qui orationes suas de industria

figuris

figuris et orationis formis instruxerit, quod Phot. Bibl. p. 1451. scribit Antiphontem neglexisse. Id certe mihi constat, non recte censere Spengelium Συναγωγῇ τεχνῶν p. 181.: *Nescio an sit* σχηματίζειν *schemata recte distinguere et suo collocare loco, ut huc pertineant Dionysii verba de Isaeo p.* 305.: *καὶ γὰρ ἐφόδοις χρῆται καὶ προκατασκευαῖς καὶ μερισμοῖς τεχνικωτέροις καὶ τίθησιν ἐν οἷς δεῖ χωρίοις ἕκαστον καὶ μεχρὶ πολλοῦ προάγει τὰς τῶν ἐγχειρημάτων ἐπεργασίας σχημάτων τε μεταβολαῖς ἐναγωνίων καὶ παθητικῶν ποικίλλει τοὺς λόγους.*

Ubi Isaeus ducibus illis satis profecerat, incepit quaestum oratorium facere atque more illius aetatis mercede aliis orationes composuit. Deinde etiam ludum aperuit et ad docendum se contulit. Antequam vero omnibus, qui eum adire vellent, ludum aperuit, privatim in arte oratoria instituit Demosthenem, omnium oratorum, quos Graecia tulit, sine dubio praestantissimum. Hujus rei testes sunt Dionys. in Isaeo, Liban. in Demosthene, Pseudo-Plut. in Isaei et Demosth. vitt., Suidas. vv. Ἰσαῖος et Δημοσθένης, Lucian. Demosth. laudat. p. 892., Photius Bibl. p. 1464. et 1472. Iidem tamen fere omnes narrant, fuisse aliquos, qui Demosthenem etiam Isocrate, Alcidamante, Zoilo, Polycrate, aliis, qui eo tempore docuerint, usum esse contendissent. At vero hos Demosthenes maximam partem non ipse videtur audisse. Quum enim singulari tutorum suorum pravitate toto fere patrimonio privatus esset, quo tandem modo tot praeceptoribus statam mercedem potuit pensitare? Praeterea sententiam meam confirmant, quae Plutarch. vit. Demosth. de Hermippo scribit: *Ἕρμιππος — Κτησιβίου μέμνηται λέγοντος, παρὰ Καλλίου τοῦ Συρακουσίου καὶ τινων ἄλλων τὰς Ἰσοκράτους τέχνας καὶ τὰς Ἀλκιδάμαντος κρύφα λαβόντα τὸν Δημοσθένη καταμαθεῖν.* Huc etiam pertinet testimonium, quod Pseudo-Plut. Demosth. vit. ex Ctesibii de philosophia libro asservavit: *Διὰ Καλλίου τοῦ Συρακουσίου πορίσας Ζήθου* (scrib. videtur cum Reinesio Varr. Lectt. III., p. 328. *Ζωΐλου*) *τοῦ Ἀμφιπολίτου λόγους, διὰ δὲ Χαρικλέους τοῦ Καρυστίου τοὺς Ἀλκιδάμαντος ἀνέλαβεν αὐτούς.* Idem denique tradit Suidas voc. Δημοσθ. Ἀθηναῖος. Ab iis autem, quorum dictatis tantum Demosthenes usus est, excipiendi sunt Callistratus et Plato. Hujus enim auditorem Demosthenem fuisse, praeter Hermippum apud Plutarchum l. l. affirmant etiam Pseudo-Plut., Suidas, Gell. III., 13., Cicero Brut. XXXI., 121. et Orat. IV., 15. Quintil. Instit. orat. XII., 2., 22. et XII., 10., 24. Tacit. de oratt. dial. c. 32. Tot

igitur testibus in hac una re consentientibus certum est, Demosthenem Platonis auditorem fuisse. Sed ab hoc eruditus est in rebus philosophicis idque, ut videtur, usque ad Olymp. CIII., 3. In hunc enim annum incidit caussa illa de Oropo a Callistrato dicta, qua Plutarcho et Hermippo apud Gell. l. l. testibus factum est, ut Demosthenes se ad eloquentiae studium conferret. Demosthenes ubi vidit, oratorem caussa illa perorata in tanta admiratione esse, ut a multitudine deduceretur, ejus gloria ita est captus et demulctus, ut ceteris disciplinis et Academia cum Platone relictis totum se eloquentiae dederet, et Callistratum, dum Athenis fuit, audiret. Sic hanc rem Gell. l. l. ex Hermippo refert, atque propterea equidem huic magis fidem habeo, quam Pseudo-Plutarcho, qui post Callistratum demum Demosthenem narrat Platonem audisse.

Callistrato vero in Thraciam expulso Demosthenes ut in dicendi arte magis proficeret Isaeum nostrum domum suam recepit, seque quatuor annos in ejus orationibus imitandis exercuit. Plene haec inveniuntur apud Pseudo-Plutarch. vit. Demosth.: *Ἰσαῖον ἀναλαβὼν εἰς τὴν οἰκίαν τετραετῆ χρόνον αὐτὸν διεπόνησε μιμούμενος αὐτοῦ τοὺς λόγους.* Cur vero hunc potius, quam Isocratem, qui tum maxime florebat, praeceptorem sibi elegerit Demosthenes, Plutarchus ejus vita duas caussas commemorat, quae jam olim ea de re prolatae sint: *ἐχρήσατο δὲ Ἰσαίῳ πρὸς τὸν λόγον ὑφηγητῇ καίπερ Ἰσοκράτους* (ita enim scribendum est, non *καὶ περὶ Σωκράτους,* quod vulgo scriptum est) *τότε σχολάζοντος, εἴτε, ὥς τινες λέγουσι, τὸν ὡρισμένον μισθὸν Ἰσοκράτει τελέσαι μὴ δυνάμενος τὰς δέκα μνᾶς διὰ τὴν ὀρφανίαν, εἴτε μᾶλλον τοῦ Ἰσαίου τὸν λόγον ὡς δραστήριον καὶ πολυοῦργον ἐπὶ τὴν χρείαν ἀποδεχόμενος.* Cum paupertate Demosthenis consentiunt, quae Pseudo-Plutarch. et post eum Photius vit. Isocrat. iisdem fere verbis narrant: *Δημοσθένης δὲ προςῆλθε μὲν αὐτῷ μετὰ σπουδῆς καὶ χιλίας μὲν, ἃς εἰςεπράττετο, οὐκ ἔχειν ἔφη παρασχεῖν, διακοσίας δὲ ἐφ᾽ ᾧ τὸ πέμπτον μέρος ἐκμαθεῖν δώσειν.* At iis, quae hic et antea exposita sunt, plane repugnat locus apud Pseudo-Plutarchum in Isaeo, qui eisdem verbis apud Photium quoque exstat: *Καθηγήσατο δὲ (Ἰσαῖος) Δημοσθένους, ἀποστὰς τῆς σχολῆς ἐπὶ δραχμαῖς μυρίαις, διὸ καὶ μάλιστα ἐπιφανὴς ἐγένετο.* Sed his nulla omnino fides habenda. Quo enim modo is, qui mille se drachmas propter orbitatem pendere posse negat, alteri potest decem millia solvere? Sed fortasse

objiciat aliquis, Demosthenem ea ipsa re, quod Isaeo tantum drachmarum numerum persolvisset, eo redactum esse, ut Isocrati statam mercedem numerare non posset. Quod si ita esset, certe Plutarchus et Dionysius, qui tantam operam in Demosthenis vita describenda collocarunt, et omnia, quae ad eum pertinerent, diligentissime collegerunt, hanc rem non omisissent. Accedit, quod Pseudo-Plutarchus, quum complura in Demosthenis vita ex Isaei repetat, mercedis, qua Demosthenes ab Isaeo institutus sit, ne mentionem quidem injiciat. Videtur igitur ille locus ex iis esse, qui probent, auctorem illius de decem oratoribus scriptionis non omnia semper satis pensitasse. Quam suspicionem magis etiam auget Suidas, apud quem voc. *Ἰσαῖος* ita scriptum est: *Οὗτος ἐπαινεῖται καὶ ὡς ῥήτωρ καὶ ὡς Δημοσθένην ἀμισθὶ προαγαγών.* Isaeum non sine ulla mercede Demosthenem instituisse, verisimile est, sed non datis decem drachmarum millibus, certum. Quod mihi vel eo probari videtur, quod Isaeus, ut supra demonstravimus, Lysiae schola relicta Demosthenem non in ludo, sed in ipsius aedes receptus privatim instituit.

Utut vero mercedis res se habet, nulli dubitationi obnoxium est, Demosthenem Isaei potissimum fuisse discipulum. Quod quum ex locis quos commemoravimus appareat, tum declarant opiniones, quas de ejus orationibus in tutores suos habitis jam tum aequales fovisse, narrant Plut. Demosth. p. 849. Photius et Liban. p. 3., 10. sqq. Apud hunc, qui rem accuratissime tradit, haec leguntur: *εἰς ἄνδρας ἐγγραφεὶς εὐθὺς ἀγῶνα κατὰ τῶν ἐπιτρόπων ἐνεστήσατο κακῶς διῳκηκότων τὴν οὐσίαν αὐτοῦ· καὶ εἷλε μὲν αὐτούς· — τοὺς δὲ λόγους τοὺς ἐπιτροπικοὺς εἰσὶν οἵ φασιν Ἰσαίου καὶ οὐ Δημοσθένους εἶναι, διὰ τὴν ἡλικίαν τοῦ ῥήτορος ἀπιστοῦντες· — καὶ ὅτι δοκοῦσιν οἱ λόγοι τὸ τοῦ Ἰσαίου πῶς ἐπιφαίνειν εἶδος· ἕτεροι δὲ νομίζουσι, συντετάχθαι μὲν ὑπὸ Δημοσθένους, διωρθῶσθαι δὲ ὑπὸ τοῦ Ἰσαίου.* Negat quidem Petrus van Spaan dissertat. de Antiphonte a stili similitudine concludi posse, aliquem ejus discipulum fuisse, cujus dicendi genus alterius opera referant: sed haud scio an non satis vere haec disputaverit juvenis ille doctissimus. Minus etiam mihi probatur, quod idem ille Demosthenem Isaeo plane dissimilem dixit.. Longe aliter jam Dionysius hac de re judicavit sub finem suae de Isaeo scriptionis: *Τὸν δὲ τρίτον, Ἰσαῖον, εἴ τις ἔροιτό με, τίνος ἕνεκα προςεθέμην, Λυσίου δὴ ζη-*

λωτὴν ὄντα, ταύτην ἂν αὐτῷ φαίην τὴν αἰτίαν, ὅτι μοι δοκεῖ τῆς Δημοσθένους δεινότητος, ἣν οὐδείς ἐστιν ὃς οὐ τελειοτάτην ἁπασῶν οἴεται, γενέσθαι τὰ σπέρματα καὶ τὰς ἀρχὰς οὗτος ὁ ἀνὴρ παρασχεῖν. Dionysius nisi similitudinem quandam Isaei inter et Demosthenis dicendi genera deprehendisset, illa non scripsisset. Verum quidem est, non sola stili similitudine alicujus praeceptorem cognosci; at si alia accedunt, hoc nemo tanquam leve argumentum rejiciet. Sed haec mittamus.

Jam vero Isaei studia oratoria persequamur. Supra diximus, Isaeum ad Gorgiae, Antiphontis, Lysiae exemplum ludum rhetoricum Athenis aperuisse. Id confirmat Plut. de Gloria Atheniensium p. 350. C. exempl. Frcft. *οὐ τοὺς ἐν ταῖς σχολαῖς τὰ μειράκια προδιδάσκοντας — τοὺς Ἰσοκράτεις καὶ Ἀντιφῶντας καὶ Ἰσαίους.* Quando vero scholam suam instituerit dici nequit. In universum tamen ex iis, quae supra attulimus, apparet, hoc quatuor certe annis post factum esse, quam Lysiam reliquerit. Neque vero ore solum et viva voce discipulos imbuit eloquentiae praeceptis, sed etiam curavit, ut scriptis praeceptis audita in memoriam revocare et magis sibi imprimere possent. Scripsit eorum gratia rhetoricen, quod teste Quint. Instit. orat. Lib. III., 1., 8. et 10. jam antea fecerant Gorgias et Antiphon. Hanc notitiam debemus Pseudo-Plutarch. in Isaeo: *καταλέλοιπε δὲ — ἰδίας τέχνας.* Idem opus commemorat Dionys. Epist. ad Ammaeum p. 120.: *καὶ οὔτε — σπουδῆς ἄξιον οὐδὲν εὗρον, οὔτε οἱ τούτοις συμβιώσαντες τοῖς ἀνδράσι παραγγελμάτων τεχνικῶν συγγραφεῖς καὶ ἀγωνισταὶ λόγων ῥητορικῶν οἱ περὶ Θεοδέκτην καὶ Φίλισκον καὶ Ἰσαῖον* cet. Magis idem probant verba, quae paulo post sequuntur: *οὔτ' αὐτὸς ὁ Δημοσθένης — τοσοῦτος ἂν ἐγένετο τοῖς Ἰσοκράτους τε καὶ Ἰσαίου κοσμούμενος παραγγέλμασιν.* Quo autem modo ars illa rhetorica comparata fuerit, hodie nequit dijudicari.

Neque vero Isaeus totum vitae tempus consumpsit eloquentiae regulis tradendis, sed etiam oratoris personam suscepit praeclareque sustinuit. Pseudo-Plutarch. de eo scribit: *πρῶτος δὲ — ἤρξατο καὶ τρέπειν ἐπὶ τὸ πολιτικὸν τὴν διάνοιαν.* Idem iisdem verbis repetit Photius l. l. Sed hoc non debet ita explicari, ut Isaeum orationis politicae inventorem esse statuamus. Hujus enim inventionis laudem deberi Antiphonti, docet Hermogenes de Form. Orat. II., p. 498. exempl. Laurent., ubi Antiphon nominatur *εὑρέτης καὶ ἀρχηγὸς τοῦ τύπου τοῦ πολιτικοῦ.* Similia tradunt Diodorus apud Clement.

Alexandr. Strom. I. p. 365. et Pseudo-Plutarchus in Antiphonte. Quapropter equidem puto, Pseudo-Plutarchum et Photium verbis supra allatis nihil aliud sibi voluisse, quam Isaeum civile illud dicendi genus primum consectatum esse. Illud vero dicendi genus in eo potissimum cernebatur, quod remotum ab ornatu, noto tantum et civili sermone utebatur, in dicendi formis perspicuum, moderatum, simplex, moratum, sincerum et grave erat. Ita hoc dicendi genus describit Hermogenes de Form. II., 10., qui eodem libro c. 11. tradit, Isaei nostri genus dicendi politicum fuisse. Simul vero addit, quamvis in eo multum concitati et interdum vegeti generis sit, eum tamen longe superatum esse a Demosthene. In hoc enim dicendi genere Demosthenes ita excelluit, ut Hermogene teste omne perfectum dicendi genus politicum postea appellaretur Demosthenicum.

Quum vero hujus orationis politicae secundum Hermogenem p. 473. tria essent genera, deliberativum (*συμβουλευτικὸν*), judiciale (*δικανικὸν*) et panegyricum (*πανηγυρικὸν*), in uno judiciali genere se Isaeus studiosissime exercebat. Testatur hoc Dionys. p. 104., 13.: *γένος μέντοι λόγων ἑνὸς ἀσκητὴς ἐγένετο, τοῦ δικανικοῦ, καὶ περὶ τοῦτο μάλιστα ἐσπούδασεν.* Atque ex hoc ipso loco judicare licet de duobus aliis apud eundem scriptorem, quorum alter ab Hudsono male tentatus, alter corruptus videtur. Sed ab illo incipiamus. Commemorat Dionys. p. 107., 44. Isaei *λόγους ἀποδεικτικούς*. Hic pro *ἀποδεικτικοὶ* Hudsonus scribi voluit *ἐπιδεικτικοί*. Sed perperam. Recte enim jam Reiskius ibi docet, longe diversas orationes esse *λόγους ἐπιδεικτικοὺς* et *ἀποδεικτικούς*. Illae, quae et *σοφιστικαὶ* nominabantur, ita comparatae erant, ut non solum mentis cogitationes referrent, sed copiam etiam, ubertatem, oratoris doctrinam ostenderent. Latine igitur hi *λόγοι ἐπιδεικτικοὶ* dici possunt *orationes demonstrativae*, et pertinent ad genus panegyricum. At *λόγοι ἀποδεικτικοὶ* id agunt, ut caussas explanent, eas juste susceptas demonstrent et argumentis allatis auditorum eis assensum concilient. Tales igitur orationes pertinent ad illud orationum genus, in quo excolendo Isaeus maxime elaborabat, et recte illo loco commemorantur. Idem quam maxime probant exempla, quae, ut sententiam suam testimoniis sustentaret, Dionysius attulit. Ea enim omnia non demonstrativi, sed judicialis generis sunt. Quapropter equidem, ut ad alterum locum perveniam, puto recte vidisse Sylburgium, quum apud Dio-

nys. p. 109., 34. *ἐν τοῖς ἀποδεικτικοῖς*, non *ἐπιδεικτικοῖς* scribendum esse censeret. Praeterea enim, quod *ἐπὶ* et *ἀπὸ* praepositiones satis frequenter confusae sunt, etiam exemplum, quod eo loco prolatum est, nescio an quisquam ad demonstrativum genus referat; ceteroquin, aliis locis comparatis, Dionysius contra semet ipsum diceret.

Omnem autem eloquentiam suam Isaeus dicavit civibus, qui aut alios accusarent, aut semet ipsos ab aliorum injuriis defendere vellent. Quas orationes illi ab Isaeo mercede acceperant, has memoriae mandabant et aut in judiciis aut in concione recitabant. Ipse num unquam aut ad se ipsum aut ad alios defendendos dixerit, certo affirmari nequit, quamquam unam orationem ipse habuisse videtur, nempe eam, quae de Nicostrati hereditate scripta exstat. Licet autem hac de re nusquam scripti quidquam inveniatur, mihi quidem id probare videtur hujus orationis exordium, quod hoc est: *Ἐπιτήδειοί μοι τυγχάνουσιν, ὦ ἄνδρες, ὄντες Ἄγνων τε οὑτοσὶ καὶ Ἀγνόθεος καὶ ὁ πατὴρ αὐτῶν ἔτι πρότερον· εἰκὸς οὖν μοι δοκεῖ εἶναι, ὡς ἂν οἷός τε ὦ, συνειπεῖν αὐτοῖς.* Idem ex hoc loco, ni fallor, conjecit argumenti auctor, qui haec dicit: *Ἰσαῖος ὁ ῥήτωρ ὡς συγγενὴς ὢν τῶν περὶ τὸν Ἄγνωνα λέγει συνηγορῶν αὐτοῖς.* Negat quidem Reiskius, illum orationis locum quidquam ad sententiam grammatici sustentandam facere, idque propterea, quod neque *ἐπιτήδειοι* sint *cognati*, sed *familiares*, nec *μοὶ* necessario ad Isaei personam, sed ad eum referendum sit, qui Isaeum mercede ad scribendum conduxerit. — At vero *ἐπιτήδειος* non solum *familiarem*, sed *necessarium* etiam denotat. Omnem hac de significatione dubitationem nobis eximit locus fragm. Lexici Graeci apud Hermann. de Emend. Rat. Gr. Gramm. p. 340.: *τοὺς ἐκ πλαγίου, ἀδελφοὺς δηλαδὴ καὶ ἐξαδέλφους ἐπιτηδείους ἐκάλουν.* Deinde vero, quamvis concedam, *μοὶ* pronomen non necessario ad Isaeum referendum esse, mihi tamen, quum totius orationis natura probet, alium quendam, sive familiaris sive cognatus sit, verba facere, verisimilius est, oratorem ipsum dixisse, quam alium quempiam, qui ipse orationem componere non potuerit. Schoemannus, qui hanc rem neque negat, neque affirmat, Comment. ad Isaeum p. 269. haec addit: *Nullum est in ipsa oratione vestigium, ex quo grammaticus eam ab ipso Isaeo habitam colligere potuerit; quamobrem nisi temere id ab eo fictum putare volumus, alium quempiam auctorem habuerit necesse*

est, hodie ignotum, Didymum fortasse, cujus commentarii in Isaeum laudantur ab Harpocratione in γαμηλία. Verum quicunque illam orationem habuit, ex iis est, quibus scribendis Isaeus maximam industriam artemque adhibuit, ex λόγοις κληρικοῖς, cujus generis etiam nunc aliquot exstant; atque his ita excelluit Isaeus, ut, quamquam etiam alios judicialis generis composuerat, quae in deperditis sunt, hoc uno fere nomine ab antiquis grammaticis et lexicographis celebraretur.

Jam vero si Isaei dicendi genus et virtutes oratorias spectamus, quum ea, quae Longinus disseruerat, interierint, praeter Hermogenem loco, quem supra laudavi, imprimis audiendus est Dionysius Halicarnassensis, qui hunc locum eo, quem saepe commemoravi, libello quam accuratissime tractavit. Ac primum quidem huic videtur Isaeus in tenui illo, puro, proprio, perspicuo simulque rotundo et numeroso dicendi genere, quod supra diximus Isaeum primum de industria sectatum esse, tam prope a Lysia praeceptore abesse, ut, nisi quis utriusque oratoris peritissimus sit, eorum orationes vix distinguere possit. Affert tamen aliquas rationes, quibus arbitretur Lysiam ab Isaeo relictum esse, quod scilicet apud hunc rerum et argumentorum divisio et pertractatio sapientius quam apud Lysiam sit instituta. Eandem apud Lysiam argumentorum perturbationem ex Platone perstringit Fronto de Laudibus Fumi et Pulveris p. 364. exempl. Mediol. Deinde vero censet Dionysius, quum Lysiae oratio sit moratior, simplicior, minus figurata et naturalis, suavitatis vero et gratiae plena, Isaei esse artificiosiorem, ornatiorem, accuratiorem, minus naturalem, variis distinctam schematis et tanta gravitate, ut vere fons dici possit, unde illa vis Demosthenica promanaverit. Atque ut discrimina illa constituta magis appareant, comparat Lysiae orationes cum picturis antiquis, quae lineis tantum artificiosissime et accuratissime descriptae colorum misturis et varietate careant; Isaei contra orationes dicit similes picturis omni cura et diligentia confectis, in quibus et colorum varietas et lumina et umbra summa cum arte effecta sint. Quod quidem Dionysii de Lysia judicium ne forte, si contuleris cum Tullio, qui Lysiam Orat. IX, 29. *venustissimum scriptorem et politissimum* et de Orat. I., 54., 2. *disertissimum oratorem* dicit, insolens videatur. Quum enim Cicero eum priore loco etiam *tenuem* atque *inornatum* appellet, judicia illa neutiquam inter se

pugnant, dummodo eas laudes, quae passim Lysiae tribuuntur, cumulatiores statuas Isaeo tribuendas esse. Atque quam necessario id faciendum sit, satis probant ejus orationes, quae etiamnunc exstant. Eae, sive dicendi genus, sive argumenti tractandi rationem spectas, praestantissimae sunt. Oratio in iis pro varietate rerum et sententiarum modo pressa est et tenuis, modo, ubi res postulat, incitata et ita vehemens, ut omnia proripiantur. Admiramur in iis subtilitatem, sententiarum pulcritudinem, rerum copiam et ubertatem. Saepe enim in materia vel maxime exigua praeter omnem exspectationem profert tantam argumentorum multitudinem, ut eorum mole adversarios aeque ac judices quasi opprimat omnesque summa compleat admiratione. Quibuscunque armis pugnat rhetorica, quibuscunque artibus eloquentia auditorum assensum extorquet, eas Isaeus ad rem suam sustentandam omnes adhibet, idque tam feliciter, ut nemo magis posse videatur. Argumentatur modo e contrariis, modo e similibus, modo ea, quae dicit, conjecturis tantum nituntur. Quidquid adversarius profert, nunquam est imparatus, quin inde sibi petat argumentum, idque tam speciose proponere callet, ut nemini de ejus veritate non persuadeatur. Neque vero cum adversario solum, quem haud raro suis ipsius laqueis captum sibique repugnantem producit, contentiose agit, sed, quod etiam Dionysius observavit, in ipsos judices invehitur, eosque, si rationibus suis non assentiantur, adversariis ipsis injustiores dicere audet. Orationis ornamenta, qualia sunt interrogationes, comparationes, exclamationes, metaphorae, ascensus, alia hujusmodi tam opportune adhibet, ut quisque statim eum ex Isocratis ludo prodiisse cognoscat: magis etiam id cognoscet, qui verborum structuras, sententiarum nexus, ambitus periodorum, oratorios transitus diligenter consideraverit; at si verborum aculeos, sententiarum gravitatem, sonitum, concisionem spectaverit, mox se Demosthenis praeceptorem audire intelliget. Ne multa, Isaeus est in hoc judicialis eloquentiae genere praeter Demosthenem praestantissimus, et neutiquam dignus ea neglectione, quam adhuc expertus est.

Quamvis vero Isaeus tantus orator esset, tamen aequalium suorum invidia carere non potuit. Nam ea ipsa de caussa, quod summa arte rhetorica in orationibus scribendis uteretur, neque quidquam intactum relinqueret, quo sibi auditorum assensum conciliaret, et judices in quam vellet partem moveret,

ret, factum est, id quod haud raro in iis fit, qui res suas nimia arte et nimis acervandis argumentis sustentare student, ut de fraude et dolo in suspicionem incurreret. Tradit enim Dionys. Halic. l. l. p. 306.: ἦν περὶ αὐτοῦ δόξα παρὰ τοῖς τότε γοητείας καὶ ἀπάτης, ὡς δεινὸς ἀνὴρ τεχνιτεῦσαι λόγους ἐπὶ τὰ πονηρότερα· καὶ εἰς τοῦτο διεβάλλετο· Eandem de eo opinionem spectavit Pytheas, improbus ille a Philippo redemptus demagogus, qui, quum Demosthenem accusaret, omnium huic hominum malitiam atque improbitatem inesse diceret eique opprobrio verteret, ὅτι ταῖς τῶν λόγων Ἰσαίου τέχναις σεσίτισται. Denique fortasse eandem ob suspicionem Isaeus in scena traductus est, si quidem Pseudo-Plutarch. in Isaeo dicit, eum a Theopompo comico in Theseo esse commemoratum.

Talis quum Isaeus orator esset, facillime certe, si ei licuit et ipse voluit, ad honores reique publicae munera fungenda pervenire potuisset, si quidem tum eloquentissimus quisque facillime Athenis ad rem publicam gerendam admittebatur. Num vero Isaeus ad rem publicam accesserit, an ea abstinuerit, jam Dionysius, ut vidimus, conqueritur non constare. At si conjicere licet, Isaeus non videtur animum ad rem publicam ejusque honores appulisse, sed in otio domestico arti tantum vacasse et vitam docendo et orationes scribendo transegisse. Solis igitur ingenii monumentis nomen suum immortalitati commendavit, de quibus restat ut dicamus.

De arte ejus rhetorica jam antea dictum est. Praeterea ejus nomine circumferebantur olim sexaginta quatuor orationes, ex quibus jam Photius et Pseudo-Plutarchus quatuordecim subdititias judicarunt. Apud Photium haec leguntur: Ἀνεγνώσθησαν Ἰσαίου διάφοροι λόγοι· οὗτοι δέ, ἁπλῶς εἰπεῖν, εἰς τέσσαρας καὶ ἑξήκοντα συναριθμοῦνται· τούτων δὲ οἱ τὸ γνήσιον μαρτυρηθέντες πεντήκοντα καταλείπονται μόνοι. Pseudo-Plutarchus haec habet: καταλέλοιπε λόγους ἑξήκοντα τέσσαρας, ὧν εἰσι γνήσιοι πεντήκοντα. In has orationes Didymus, grammaticus Alexandrinus, commentarios scripserat, qui, ut multae Isaei orationes, temporum invidia interierunt. Hos commentarios commemorat Harpocratio, apud quem v. γαμηλία hoc scriptum est: Δίδυμος ὁ γραμματικὸς ἐν μὲν τοῖς Ἰσαίου ὑπομνήμασί φησι, εἶναι τὴν γαμηλίαν τοῖς φράτορσιν ἐπιγάμοις διδομένην. Eandem hujus vocabuli explicationem ex Didymo Suidas affert, sed omittit librum, unde eam deprompserit. Ex omni-

bus autem ejus orationibus, quae olim legebantur, diu decem tantum in caussis circa hereditatem adeundam versantes exstabant, at an. MDCCLXXXV. his accessit undecima, de Meneclis hereditate oratio praestantissima, quam studio Thomae Tyrwhitti, qui eam tum e codice Laurentiano Londini edidit, debemus. Neque vero integra solum oratio recentioribus temporibus Isaeo restituta est, sed aliud etiam ei incrementum accessit, illa scilicet de Cleonymi hereditate oratio, quae antea majore parte truncata erat, an. MDCCCXV. illo loco, quo jam priores editores aut spatio aut asteriscis interpositis lacunam indicaverant, ab Angelo Majo ex codice Ambrosiano ita aucta est, ut nihil amplius deesse videatur. In hac enim tum primum prolata parte inveniuntur etiam illa Pherenici et Simonis nomina, quae quum antiquus argumenti auctor commemoraret, antea nusquam apparebant. Reliquarum orationum qui subsidia et doctorum de iis inde a renatis litteris merita cognoscere velit, adeat Schoemannum, qui Praefat. inde a pag. VII. hunc locum tam diligenter tractavit, ut nos eo supersedere possimus. Undecim igitur orationes, quae nunc exstant, hae sunt:

I. *Περὶ τοῦ Κλεωνύμου κλήρου.*
II. *Περὶ τοῦ Μενεκλέους κλήρου.*
III. *Περὶ τοῦ Πύῤῥου κλήρου.*
IV. *Περὶ τοῦ Νικοστράτου κλήρου.*
V. *Περὶ τοῦ Δικαιογένους κλήρου.*
VI. *Περὶ τοῦ Φιλοκτήμονος κλήρου.*
VII. *Περὶ τοῦ Ἀπολλοδώρου κλήρου.*
VIII. *Περὶ τοῖ Κίρωνος κλήρου.*
IX. *Περὶ τοῦ Ἀστυφίλου κλήρου.*
X. *Περὶ τοῦ Ἀριστάρχου κλήρου.*
XI. *Περὶ τοῦ Ἁγνίου κλήρου.*

Ex reliquis Isaei orationibus praeter titulos, quos Meursius Bibl. Attic. et Fabric. Bibl. Gr. collegerunt, pauca tantum fragmenta eaque maximam partem valde exigua a lexicographis et grammaticis conservata sunt, quae, quum tanti oratoris, quantus Isaeus fuit, vel minima cognoscere juvet, mox separatim in lucem edam.
